



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

Art. I. Pro Fide, quà Fundamento post exemplum, doctrinamque Christi  
stat consensus Doctoru[m] Ecclesiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

## ARTICULUS I.

*Pro Fide, quæ Fundamento, post exemplum, doctrinamq; Christi, stat consensus Doctorum Ecclesiæ.*

**C**HRIſTUS Dominus toto vitæ mortalis tempore, & Architectum ipsemet agens Domus Sapientiæ, & Discipulos suos instruens, vt & ipsi essent boni Edificatores Edificij spiritualis, postquam faciendo ac docendo, opere & sermone, vniuersæque differendo, multa dixisset de Edificatione Regni cœlorum, Ecclesiæ, & Domus virtutum, in cuiuslibet anima; diuersis sermonibus egit, diuersis quoque operibus ostendit, ac præscripsit, singularum partium materiam, dimensionem, proportionemque ad ceteras; nunc hanc, nunc illam commendans virtutem, siue tanquam ad fundamentum, siue ad parietes, siue ad tectum pertinentem. In sermone aurem illo (a) longissimo, ideoque absolutissimo, quem habuit ad Discipulos, post vltimam cum ijs cœnam, de omnibus egit, differens de Fide, Spe, Caritate: prudentia, iustitia, temperantia, fortitudine, ad quas ceteræ reuocantur; sed præcipuè commendauit, & inculcauit ijs Fidem; vt crederent firmiter, quod ipse sit Filius DEI, Redemptor, Saluator: suam mortem pro mortalibus sponte obeundam, tum Resurrectionem, profectionem ad Patrem, & alios fidei articulos, ad quos stabiliendos toties ijs apparuit.

Ad Fidem spectant ista: *Vado ad eum, qui me misit: id est, ascendo ad Patrem: & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis? nimirum, vt in fide huius articuli instruarur. Itē, illa: Ego veritatē dico vobis: Ego Magister sum fidei: veritate meâ infallibili nititur fides; in qua quia rudes adhuc*

(a) Ioan. XIII. IV. Ioan. XV. XVI.

adhuc estis, *expedit vobis vt ego vadam*. Sic enim veniet ad vos Paracletus, Doctor fidei Spiritus-Sanctus, qui docebit vos omnem veritatē, fide illustrans mentem & intelligentias vestras. Atque ita mentem cœlestis Magistri interpretati sunt fideles eius Discipuli Doctores Ecclesiæ, qui de Fide differunt, vt de Fundamento totius Ædificij Spiritualis, quod ex virtutibus, tanquam lapidibus exsurgit, Imprimis, S. Augustinus inter Architectos Morales peritus in paucis, sermone xxii. de verbis Apostoli, DOMVS DEI, inquit, *credendo*, (quod non fit, nisi Fide) *fundatur: sperando erigitur: diligendo perficitur*. Eius igitur sensu, Domus huius fundamentum est Fides. Quocirca idem libro xxii. de Ciuitate DEI, cap. 6. docet illius etiam Ciuitatis fundamentum esse Fidem. Magistum sequutus Beda, libello, quem scripsit de substantijs, asserit, Fidem esse Fundamentum omnium virtutum, & primam in corde. Quod intellige de virtutibus Christianis, & supernaturalibus, quæ pertinent ad Ædificationem Domus Spiritualis, & cœlestis, non Philosophicarum tantum ac naturalium, quæ terrenam, non cœlestem habitationem constituunt. Idem passim alij Patres pronuntiant. Clarissimè S. Ambrosius in psalm. xi. *FIDES virtutum omnium stabile Fundamentum est*. Et S. Chrysostomus Oratione, quam habuit de Fide, Spe, & Caritate, *Fides est origo iustitiæ, sanctitatis caput, deuotionis principium, Religionis Fundamentum. Nullus vnquam sine hac Dominum promeruit: nullus absque illa fastigium sublimitatis ascendit*.

FIDEM dum audis celebrari, vt Fundamentum, intellige Fidem veram, orthodoxam, Catholicam, quæ vt docet vos Catechismus, est Donum DEI, ac lumen,

aclumen, quo illustratus homo, firmiter assentitur omnibus, quæ DEVS reuelauit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, siue scripta illa sint, siue non sint. Ea breuissimè vocari potest, *Fides Christi*: hanc enim Fundamentum esse, & non aliam, docet. Paulus Apostolus in priori ad Corinthios, III. vbi sic planè architectonicè differit Sapiens Architectus: *DEI ædificatio estis: Secundum gratiam DEI, quæ data est mihi, vt Sapiens Architectus Fundamentum posui: alius autem superædificat. Vnusquisque autem videat, quomodo superædificet. FUNDAMENTVM enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est CHRISTVS IESVS.* Pleriq; Græci Codices habent, *Qui est Christus: editio Romana, Quod est Christus, vt referat fundamentum.* Dum autem dicit Christum esse Fundamentum, intelligit, vt exponunt D. Chrysostomus, Theophylactus, & alij, *FIDEM CHRISTI*, seu in Christum IESVM Saluatorem, secundam doctrinam Evangelicam.

## ARTICVLVS II.

## FIDES

*Quia Hypostasis, & Substantia rerum sperandarum, est Fundamentum ædificij Spiritualis.*

**F**IDEM Fundamenti titulo exornasse Gentium Doctorem Paulum in celebri sua Fidei definitione, Hebræorum XI. haud ambigo. *Est Fides, inquit, sperandarum Substantia rerum.* Non me latet, distrahi Interpretes, dum coniecturis agunt, quidnam significauerit Apostolus, nomine *Substantia*, Græcè, *υπόστασις*. Nam quidam accipi putant *Substantiam* pro possessionibus & opibus. Quomodo legitimam suam designans, dicebat *filius*